Ignatius

Badurski Andreas Testificatio concepti doloris ex obitu Pauli Ign. Manka exhibita 1765. d. 14 Junii

TESTIFICATIO
Concepti doloris
ex obitu
Clarissimi olim ac Doctissimi Viri,

M. PAULI IGNATII
MANKA

In Alma Universitate Cracoviensi Philosophiæ Doctoris, in Classibus Vladislaviano- Novodvorscianis Scholæ Rhetorices Professoris, Contubernii Hierosolymitani Senioris, Collegæ Minoris Vocati,

dum

In Ecclesia Collegiata Divæ Annæ
pia Ei funebria persolverentur

à

M. ANDREA BADURSKI

Philosophiæ Doctore, Pòéseos Professore Collega Minore Vocato,

EXHIBITA

Annô Domini 1765. die 14 Junii

TESTIFICATIO
Concepti doloris
ex obitu
EXHIBITA.

Communis vox dolor eſt.
Eſt cauſa doloris amor, eſt cauſa ſolatium.
Dolori obviant alii, obtemperant alii, devorant gemitus alii,
Dolorem ſimulant alii, diſſimulant alii, patiuntur alii.
imò
Suſpirant pleriq; dum devolutionem fortunæ ſperant.
Alii penes affectus afficiunt, alii delendo è vivis, dolent.
Eapropter,
neceſſe ut peccet in forma, qui in materia doloris credit colori.
cùm
& cordicitus dolentes & exultantes, pariter illacrymentur ſæpius
Prô quàm varias natura dolendi vias aperuit!
Quot capita, tot ſenſus.
quot judicia, tot ſententiæ.
quotquot affectus, tot fines doloris.
Verùm enim verò.
dolor amicus, dolor verus, dolor urbanus eſt.
quem
amor. pietas, natura.

in

in
adverſis, fortuitis, morte.
excitat, ſvadet, intendit.
Hos inter, ferre primum & alterum eſt viri.
diſſimulare tertium non eſt hominis.
Utiq;
Piis lacrymis ni ratio finem fecerit, natura non faciet,
Nihil animum piè dolentem à ſolicitudine avertit.
niſi ratio & honeſta occupatio.
Talem vitam nobis natura ipſa permiſit,
quæ primum naſcentium omen, fletum eſſe voluit.
Et licetſi
Majus incrementum doloris eſt,
ea, ſuper quibus dolemus, ſcribere.
at quia
Amicorum vitâ carentûm, æquè ac incolumium reminiſci neceſſe
ſerviet, non imperabit dolor.
& quod
amor, pietas, natura.
in
Patriotam, Chriſtianum, mortalem.
jure, perſvaſu, impulſu.
exigit, permittit, demandat.
hoc
ſuper fatis

Cla-

Clarissimi olim ac Doctissimi Viri

M. PAULI MANKA, Philosophiæ Doctoris, Rhetorices Professoris, Contubernii Hierosolymitani Senioris Collegæ Minoris Vocati.

Testificatio concepti doloris obsequium exsolvet.

Amoris debita amore solvuntur.

Pietas & amor Silentium non habent, componi non curant.

& evisceratos affectus per obstacula promunt.

Q u o d si

Mors ex præteritis vitæ actibus ponderanda est.

Vir hic, verus, secundum cor Dei fuerat.

qui

Superis totam animam.

Superioribus totam mentem.

Amicis integram voluntatem.

Dederat, donaverat, dedicaverat.

In adolescentia maturam servavit pueritiam.

In juventute operam dedit, ut bene viveret, totâ vitâ, ut bene moreretur.

Coronatrix Regum Cracovia, genuit Eum in Scholis ad coronam Regina animorum Eloquentia facultatum sibi adoptavit hæredē.

Hac in Urbe natus,

hìc educatus,

hac Urbe de Orbe sublatus.

Felicitatem dixerim.

Vivere inter ſuos, educari inter Patriotas, mori inter amicos.

At verò

Muſas ſibi amicas, quia inquilinas habuit.

imò,

humaniores Literas non didicit, ſed abſorbſit.

verè

Vas electionis PAULUS.

quod Muſæ inæſtimabili clenodiô appretiârunt ſapientiâ.

Altioribus in Studiis ivit eò feliciùs

quò deſideravit ferventiùs.

Liberalibus in Artibus licentioſus & exlex eſſe noluit.

Laboribus & oneribus Academicis ferendis ultro ſeſe obtulit

tam feliciter;

ut amorem Philoſophiæ brevì ſibi conciliaverit PROFESSOR

Procertò

plurimum profecit, quia bene vivere didicit.

Multum didicit, quia nil plus juſtô ſapiit.

verè ſapiit, quia *non ſibi*, *ſed uſibus Orbis*.

Cooptatus inter Philoſophiæ Doctores,

quà domi, quà foris, omnibus dextrè reſpondit

Culmenſis Rhetorices Profeſſor ipſam viſus præſentâſſe Eloquentiã

in Exedris Divinus Præco. (a)

in Cathedris floridus Orator. (b)

in Scholis ſubtilis Philoſophus (c)

ubivis linguâ & calamo potens.

au-

(a) *Conciones tum Culmæ tum Cracoviæ.* (b) *Panegyrim ſube Propoſitione: Concentus Cœleſtium Charitum* CANTIUS *ab una litera Nomini honoriq; Illuſtris ac Magnifici Dni* TUCHOŁKA *Capitanei Jaſioncenſis oblatam* (c) *Diſputationes Scholaſticas.*

audivit, refulsit, claruit.
doctus, sine fastidio.
amicus sine simulatione
Concentûs Cœlestiũ charitum audita & probata ubivis chamonia
Suffecit una litera ad totum opus.
In unitate, summam laudum Cantianarum conclusit.
Juventutem docuit, ut decuit.
mentes instituit, mores excoluit. (d)
Professioni suæ omni meliori modò satisfecit.
Eximias animi Ejus dotes Regalis æstimavit Prussia.
omnibus enim sese applicuit, omnibus adeò placuit.
ut Prælati & Canonici Culmensis Cathedræ, familiarem,
rerum Patriarum Optimates, domesticum.
communis Magistratus, Civem.
& crebriùs amârint,
& desiderârint frequentiùs.
Amores & desideria continuus excitaverat labor.
quem
effusi in expoliendis adolescentum ingeniis accenderunt sudores
Sudores illi Regni distinxerunt Coronam
LANCKORONSCIOS, LIPSCIOS, TRZCIENSCIOS,
TUCHOŁKAS, LESKIOS, MICHALCZESCIOS,
aliosq; quà privatæ suæ, quà publicæ institutioni commissos.
Respondit æquè loci favori, respondit Matris Academiæ amori.
gratitudine pensavit affectum, obsequiô debitum.
nem-

(d) *Exercitium de vanitate vanitatum Illustri Magnifico Domino Michaeli* TRZCIENSKI *Castellanidæ Dobrin: dedicatum, tum Orationes pro Conceptione* MARIÆ, *Domo Ejus Lauretana de* S. BONAVENTURA *tum Culmæ tum Cracoviæ absolvit:*

nempe

Redeunt, unde veniunt flumina,

Vas plenum meritîs PAULUS

iterum ad fontē, unde hauriunt Universi; Cracii Scholas recurrit

Quem

nec Castallii latices. (e)

nec Tullianum satiaverat æquor. (f)

quia

doctrina, virtute, exemplô.

in omnes fuerat profusus.

* Gallum dixerim, ni esset Aquilæ Sarmaticæ pullus.

Contubernii Hierosolymitani SENJOR

quam primùm electus, dilectus.

æquè servavit favorem, æquè justitiam.

attendens omnibus, omnibus addictus.

Hæreditas in Jerusalem Viatorem Eum monstraverat.

cùm sæpius meditaretur mortem.

& quia

longum iter Peregrino in Patriam.

non aliter, nisi pane Sacro refectus, Cœlestem petiit Jerusalē

sciens;

Ex omnibus naturæ bonis, nihil esse tempestiva morte melius.

nihil tam bonum in vita, quàm cum desinit vita.

Increparem ego fateor mortem; obtusas habet aures non audit.

quòd

Collegam Minorem Vocatum,

Qui

(e) Cracoviæ Scholam Poëseos. (f) Rhetoricam docuit.

** Linguam Gallicam coluit.*

Qui nondum de loco reſpondit,
ad forum provocat ſublimius.
Dolet ex eo Academia, ſuper PROFESSORE
Parentes, ſuper filio.
Amici, ſuper Collega,
Diſcipuli ſuper Magiſtro, dolent.
Verùm tamen
Accuſare fata poſſumus, mutare non poſſumus,
Stant dura, ſtant inexorabilia.
nemo illa convicio
nemo fletu
nemo cauſâ movet.
nihil unquam parcunt ulli, nec remittunt.
Procul hinc ſunto luctus, procul lugubria.
Parcamus lacrymis nihil proficientibus,
At
cùm Virum amavimus in vita quà hominem
huic
amore, Studio, officiô,
Vita imature defuncto
Sit quietis æternæ
TESTIFICATIO.